QUÆSTIO MEDICA AGITANDA

IN MAJORIBUS SCHOLIS CELEBERRIMÆ CADOMENSIS ACADEMIÆ,

AD REGIÆ VACANTIS CATHEDRÆ DISPUTATIONEM,

A CLARISSIMIS DOMINIS DOM. DECANO ET PROFESSORIBUS REGIIS PROPOSITA, AC SORTE DUCTA.

Ex immodico frigore, an calore, gravius damnum sanitati? 44

IN blando; leni & æquabili succotum; per sinuosos flexuososque corporis mæandros delatorum motu, magnâ ex parte versari vitæ sanitatisque rationem, quis nescit? Horum omnium partes non solo liquidorum huc illuc feruntur motu: cùm enim non unius sint generis, quæcunque in eorum compositionem cedunt, corpuscula; cùm alia sint aliis crassiora, figuramque sui admodùm dissimilem nacta sint; cùm horum alia sustinendo, conservando, & reparando corpori inserviant, continua magisque ac magis elaborata illorum requiritur præparatio, ut principia alia ab aliorum amplexibus expediantur, calorque vitalis ad implenda vitæ munia tantoperè necessarius accendatur. Hinc tanta fermentationis necessitas, ut eâ cessante petire brevi humanum genus oporteat. Hinc magnus ille & mirabilis fluidarum solidarumque partium apparatus: harum enim aliæ excernendos humores percolant, aliæ secretos continent, aliæ distribuendos deferunt. Quanta sit inter utrasque affinitas, ex eo quilibet facilè conjiciat, quòd remisso harum elatere, aut mutatâ naturali & ingenitâ illarum fluxilitate & indole, morborum agmen continenter invadat. Unde lubricus est admodùm facilisque à sanitate in morbum lapsus. Cùm actiones omnes motu perfici constet, cùm partium motus à spiritibus pendeant, cùm il ob ingenitam mobilitatem, summamque quâ donautur tenuitatem facilè dissipabiles avolent; à natura providè cautum est, ut qui novi in priorum locum sufficiendi cuduntur, horum dispendio natales debeant: scilicet dum spiritus post multos per partes itus ac reditus tantam adepti sunt exilitatem, ut intra nervos coërceri nequeant; hi moræ & quietis impatientes, quò facilior datur exitus, fugam moliuntur: sicut enim ineluctabilis moriendi necessitas susceptæ prolis beneficio reparatur, ita & spirituum dispendium jugi recentium accessione compensatur. Posità igitur, quæ certè maxima est, mutuâ partium operâ, cùm tanta sit inter eas omnes consensio, ut animalis facultas sine vitali, hæ sine altrice non possint consistere, omniumque communi utilitati addicta munera ab una eademque causa proficiscantur, in perenni & nunquam intermisso earumdem calore & motu vitam nostram contineri quis non videt?

INTER causas procatarcticas, quibus naturalis illa partium tam dissimilium harmonia, nexûsque & ordo earumdem legitimus conservantur, primas obtinet aër circumfusus, quem corpus esse fluidum, pellucidum, grave, densari & dilatari aptum, summâque resiliendi virtute præditum arbitramur. Illius ad vitæ munia sustinenda necessitas ex eo satis manifestè cogitur, quòd illius usurâ carere impunè nulla possint animantia. Pisces ipsi in aquis concluso illius opem tam constanter desiderant, ut si fluminibus glacie concretis aëris auxilio prorsus destituantur, statim suffocentur. Quia etiam novi aëris subsidio indigent, qui plures in angusto conclavi continentur; ii plerumque in lipothymiam incidunt solâ morte terminandam, ni patenti & libero aëri reddantur. Aër non unum est, sed multiplex corpus; cùm enim is exhalantium corporum vaporibus perpetuò imprægnetur, varia in sinu suo complectitur corporum genera, spirituosa nimirùm, salina, sulphurea, aquosa, & terrestria; à quibus omnibus præcipuæ illius oriuntur qualitates, frigus nempe, calor, siccitas, humiditas, tenuitas, gravitas, & elater. Saluberrimus ille habetur aër, qui purus est, tenuis, limpidusque, quem moderata & æquabilis ventorum perflat agitatio, qui ab aquis stagnantibus paludosisque non inquinatur, qui blandis Solis aspirationibus identidem recreatur, & à maleficis mineralium fodinis longo distat intervallo. Eo, tum ad vires suscitandas fovendasque, tum etiam ad ingenia exacuenda, nullum majus concessit beneficium rerum parens atque opifex Deus; quandoquidem ab eo pendent quæ potissimùm animantium vitam tuentur, perennis videlicet sanguinis circuitus, jugis illius tritura, partium non interrupta secretio, quæque ab iis omnibus dimanat universa œconomiæ animalis integritas. Sale in primis nitrato aërem refertum esse, ex eo palàm fit, quòd si terra è quæ nitrum fuit elicitum, aëri per aliquod tempus exponatur, eodem rursus perfundatur. Ab ejusmodi partibus nitrosis, subtilibus, fermentique vim obtinentibus, calorem motumque suum habet sanguis. Hæ quando in sufficienti copia pulmonum ministerio fuerunt secretæ, & in sanguinis molem tortuoso itinere quasi effertam transmissæ, cum crassis, quibus occurrunt, partibus ita miscentur, ut eas celeri, perturbato, & in orbem determinato motu commoveant. Cùm enim materia subtilis varias sanguinis partes præ nimia sui tenuitate movere non possit, alio indiget corpore, cujus interventu crassiora sanguinis principia alia ab aliis possit extricare: nullum autem sale nitrato corpus occurrit convenientius; acutæ enim & rigidæ, quibus constat, particulæ cùm primùm à materia subtili in orbem aguntur, circa suum axem rotatæ in obvias qualque sanguinis partes ita impingunt, ut crassiores comminuant, acriores retusis spiculis temperent, motuique & nutritioni idoneam materiem suppeditent. Sal illud, quod in aëre continetur, omnium quæ in rerum natura fiunt, fermentationum opifex est: quando in inspirato aëre nec exuperat, nec deficit, fermenta roborat, corporis meatus reserat, obstructiones præcavet aut solvit, secretiones promovet, superflui humoris reliquias absumit, omnes totius corporis fibras ejatere suo obfirmat, alimentorum appetentiam coctionemque suscitat, coccineum sanguini colorem conciliat, partesque sanguinis adeò dividit comminuitque, ut non ad refrigerium, sed ad illius *volatilitatem* respiratio videatur comparata. Paribus etiam rationum momentis aër sale suo terris fertilitatem inducit: eæ namque ideò crebris aratri laboribus solent exerceri, ut ipse varios implicitosque illarum meatus penetret, salia in iis contenta resolvat, quæ deciduis è cœlo imbribus soluta motus ineant fermentativos, vegetantibus vitam pabulumque suppeditaturos.

PECCAT variis modis, quod à natura institutus, aërem inter & sanguinem commercium. Ille enim ut vitæ auctor est & fomes necessarius, ita etiam mortis author non immeritò ab Hippocrate solet appellari. Ab aëre corrupto originem suam repetunt vernaculi regionum morbi, qui licet aquis alimentisque tribuantur ut plurimùm, aëris tamen naturam non raro æmulantur. Sic Phthisees Anglis familiaris, labes in aëre quærenda est; sic Hispanorum struma, Afrorum Elephantiasis, epilepsia Scytharum perseverante pravâ soli natalis indole continenter ingruunt. Ab aëre etiam malignis vaporibus inquinato nascuntur morbi populares: hi quia ventis flantibus huc illuc circumferri possunt, nullo circumscribuntur terrarum tractu, provinciasque non solùm, sed regna etiam ipla aliquando devastant. Cùm in quacunque regione minùs ægrotent, quibus annus contingit, in quo suo quæque tempore accidunt tempestates; ideò quotiescunque subita & vehemens caloris in frigus, frigoris in calorem accidit mutatio, toties nova morborum terris incumbit cohors. Ut enim, teste Hippocrate, plurimùm subitò replere vel detrahere, calefacere vel refrigerare, seu quâvis aliâ ratione corpus movere periculosum; ita quæ subitæ fiunt non solùm in morbis, sed etiam in causis procatarcticis mutationes, gravissima solent inferre symptomata. Infiniti fuerit laboris eas omnes investigare, quæ ab aëre ducuntur pravæ aut laudabiles corporum affectiones. Inter eas meritò annumerantur frigus & calor, quorum etiam ratio ut ut multis difficultatibus videatur involuta, à aliis nitrati quantitate & motu videtur deducenda. Illud ubique non æqualiter diffunditur, verùm in iis potissimùm locis viget, in quibus salium acidorum mineris directi tellus: quia calidis terræ exhalationibus solutum, in aërem per terræ crypta avolat; hinc est ut non pro Solis vicinià calor tantummodò sit æstimandus; siquidem regiones, quæ lineæ æquinoctiali subjacent, non ideò majori urantur calore, ut & eæ, quæ polis viciniores sunt, majori itidem frigore non horrescunt. Ægyptum statis temporibus dum spirant frigora Cauri, ita aliquando perflari constat, ut & intenso frigore algeat, & pesti in eâ sævienti trænum injiciatur.

EUM calorem, qui corpora nostra fovet, regit ac moderatur, esse humidum primigenium, insito spiritu & calore perfusum, tam constanter credidit omnis retrò vetustas, ut de eo unus idemque omnino fuerit Medicorum omnium sermo. Nos cùm putamus esse particularum corporis insensilium vehementem, reciprocam, atque in sese reflexam agitationem. Focum illius perennem in corde accendi, & ad cæteras corporis partes jugi allapsu transmitti, cum Anglis plerisque non credimus. A sulphuris salisque volatilis particulis sanguinis calorem non parùm accendi, ex eo credere pronum est, quòd cùm maximum earum proventum secum asportant australes venti, toti plerumque sudoribus diffluamus. Quia salis acidi vis & potestas à sulphure & sale volatili maximè obtunditur, quò uberior eorum copia ad sanguinem defertur, is eò magis fervet, æstuat, expanditur: quia etiam oleosæ partes in eo cumulantur, ideò citatiori gradu properat, magis ac magis referantur varia cutis spiracula, augeturque insensilis humorum perspiratio. His cùm non solùm sanguinis serum, sed ipsi etiam spiritus maximâ ex parte dissipentur; jam non temperatur sanguinis acrimonia, enervantur fermenta, languet appetitus, imperfecta fit ciborum dissolutio. Sanguinea moles cùm paucos spiritus cerebro suppeditet, pauci etiam in thoracis cordisque musculos influunt; hinc debilior eorumdem contractio, difficiliùsque sanguinis à dextro ad sinistrum cordis thalamum per pulmones transitus: quod vitium cùm ad alias quoque corporis partes pertingat, læduntur vitæ functiones, vires exsolvuntur, quibus exhaustis animal extinguatur necesse est. Quanta secum importet mala nimius aëris æstus, ex eo etiam meritò infertur, quòd liquorum fetè omnium maxima pars per æstatem acescat: avolantibus namque particulis tenuioribus, pauci qui superfunt spiritus, retundendis acidorum spiculis cùm sint impares, acorem statim contrahunt liquores *fermentitii*. Similem ob causam fervidis æstivisque diebus, dum crebris micat ignibus æther, à lithotomia, & aliis, quæ in solidis corporis partibus instituì solent, operationibus temperant Chirurgi peritiores, ne inductis affectæ patti actioribus fermentis, ea in *sphacelum* tandem degeneret.

CUM caloris ratio tota in partium insensilium motu posita sit, in earumdem quiete frigoris naturam versari necesse est: quò fit, ut ii morti viciniores habeantur, quorum motus minuitur, & ad omnimodam quietem contendit. Propterea pristinæ sanitati difficiliùs restituuntur, gravioraque subeunt pericula, qui morbis à frigore oriundis tentantur, quàm ii quibus calor nimius varios affectus excitavit. Infinita sunt quæ ab aëre frigidiore nascuntur symptomata, quorum omnium causa à diversa aëris constitutione videtur repetenda. Ut enim flantibus Austris non exigua sulphurearum particularum copia ab his plagis, quæ radiis solaribus magis obnoxiæ sunt, ad nos defertur; sic etiam quando Boreales venti nimiam secum salium copiam à Polis ad nos asportant, immane quanta morborum seges ingruat. Scilicet quemadmodum sanitatis ratio in certâ salis præcipuè nitrati copiâ ad sanguinem transmissâ versatur, aëriisque serenitas moderatâ illius copiâ intenditur; ita si majori, quàm par est, quantitate pulmonum veliculas pervadat, directoque feratur motu, tum sulphureas, aliasque insito motu agitatas sanguinis partes ita transfiget, ut singulæ circa centrum agi posteà non possint. His cùm qui infiniti sunt in sanguine meatus ac intervalla occupentur, materia subtilis, spirituisque per ea motum suum liberè & expeditè continuare non poterunt, solvetur legitima earumdem mixtura, aquosæ à sulphureis & terrestribus fecedent particulæ, & universo sanguini concretio inducetur. Errant, qui pestis rationem à solo aëris calore desumendam esse contendunt: ea namque cùm non eas tantùm, quæ Soli subjiciuntur, regiones infestet (Indiam tamen & vicinas insulas eâ nunquam tentari affirmat Bontius) cùm ii peste citiùs corripiantur, quibus gelidus circum præcordia terror incutitur; cùm ea neque venæ sectione, neque iis, quæ vulgò dicuntur frigida medicamenta, aut tollatur, aut declinetur, sed iis, quæ maximè actuosis partibus imprægnata sunt; illius indoles à solo calore non videtur derivanda. Quin & ii omnes, qui superioribus annis, urente agros Syrio, vitam propter nimium calorem cum morte commutasse dicuntur, eo nequaquam extincti sunt; cùm ii, quos ex ipsis Orci faucibus quasi ereptos vidimus, subtilium efficaciumque liquorum beneficio servati sint; & illi tantùm, qui nimiis laboribus corpus fatigabant, fuerint confecti; id ipsi frigori à dispendio spirituum enato potiùs ascribendum est. Ut enim videmus eos, qui omnia quæ ad beatam vitam pertinent, ventre metiuntur, hausti supra modum liquorum ignorum poculis, frigore correptos non raro extingui; eos verò, qui sanantur blando simi, aliorumve corporum calore liberari; ita etiam qui iniquis æstatis præfervidæ temporibus perierunt, solâ partium sanguinis quiete fuerunt sublati. Neque minus opinioni nostræ ex eo roboris accedit, quòd qui frigidiores orbis tractus incolunt, vitam vivant diuturniorem: cùm illud non à frigore, sed ab aëris serenitate ortum videatur, quòd ibidem rariùs occurrant arsenicales sulphureique montes, qui tetram Mephitim longè latèque diffundant; quia etiam asperis laboribus corpus longè magis exercent, qui regiones ad Polos sitas inhabitant, quàm qui ad Solis orbitam accedunt; ideò & in his multò major, quàm in illis, cumulatur sordium proventus, à quibus plures etiam dimanant morbi congestis eruditatibus infames. Plures à frigore, quàm à calore ægrotationes nasci, satis abundè testantur ea omnia, quæ postremæ hyemis sævitiam consecuta sunt, incommoda: atque ut eos omnes taceam, quos frigore sublatos accepimus, quales fuere viatores militesque plurimi, qui in statione positi frigore rigentes inventi sunt: quis non miretur, quantas strages ediderit ante actæ hyemis inclemontia? Hominum viginti millibus & amplius viduatam fuisse solam Lutetiam narrant. In eadem urbe quadraginta circiter millia anno 1684. vi frigoris necata testatur Postellus noster: Turcarum quadraginta millia, qui Sarmatiam invaserant, frigore perempta legimus. Narrat Zarata Hispanorum quoddam, dum Indiam armis occuparent, subito frigore ad radicem montis fuisse congelatos, eundemque, quo posita fuerant, situm per menses quinque servalle illæsa eorum cadavera. Cùm affectus eò periculosior habeatur, quò contumacior est, & validioribus medicamentis expugnatur, minusque præcaveri potest, à frigore gravius damnum, quàm à calore, quis neget intentari? Quia etiam plures mœrore & curis, quàm gaudio & immodicâ voluptate confici constat; plures itidem actioris hyemis sævitiâ, quàm fervidis æstatis caloribus extinguuntur. Eos qui regiones frigidas peragrant, naribus, digitis, auribus truncatos, imò etiam exfectos fieri non raro accidit; apud nos frigore decurtati passim occurrunt. At non in solos homines, bellua've animantes, aut pisces ipsos nuperæ tempestatis vis inimica sævit, ipsius etiam injuriâ arbores non paucæ fuerunt interfectæ. Si igitur crassiores plantarum arborumque succi; si solidiores earumdem fibræ penetrabili frigore disrumpantur; si duriffimi lapides in frustula discissi latiscant; si cames in Islandia sub Jove frigido diu sine sale servuntur; si spiritus vini, aliique liquores igneis particulis efficacissimi gelu concrescant, cædantque securibus humida vina, quidni etiam solidarum fluidarumque corporis nostri partium, quæ longè molliores sunt, ordinem contextumque pervertet? Quia etiam æstatis injurias, aut caloris imperium umbrâ & quiete temperare quilibet potest, contumaxque frigoris acerbitas neminì parcit, meritò concludimus,

Ergo ex frigore immodico, quàm calore, gravius damnum sanitati.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Has Theses proponebat PETRUS PHILIPPE DUDOÜET, *Cadomæus, Doctor Medicus, die Lunæ 22. Aprilis, A. R. S. H. M. DCCIX. ab hora secunda post meridiem usque ad vesperam.*

CADOMI, Apud ANTONIUM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.